DE RATIONE CALORIS ORGANICI IN MORBIS VARIIS NONNULLA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VIII. M. JULII A. MDCCCLII.

PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

WENCESLAUS PLAGGE

IBBENBUERENSIS GUESTPHALUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

HENRICUS OHM, MED. ET CHIR. CAND.
AEMILIUS FISCHER, MED. ET CHIR. CAND.
GUSTAVUS RUMP, MEDICAMENTAR. CAND.
FRANCISCUS LOEHER, JUR. UTRIUSQUE DR.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

VIRIS

PRAESTANTISSIMIS SUMMOPERE SIBI COLENDIS

GUILELMO ESSER

PHILOSOPHIAE DOCTORI EJUSDEMQUE IN ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO SEMINARII PHILOLOGI DIRECTORI ALTERI ACADEMIAE SENIORI AQUILAE RUBRAE EQUITI

ET

FRANCISCO WINIEWSKI

PHILOSOPHIAE DOCTORI LITERARUM ANTIQUARUM IN ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO AQUILAE RUBRAE EQUITI

HASCE PAGELLAS

QUALESCUNQUE SUNT

ANIMI MEMORIS AC GRATI TESTES

CONSECRATAS ESSE

VOLUIT

SCRIPTOR.

PRÆFATIO.

Conscribendae dissertationis inauguralis medicinae officio debito satisfacturus adhortatus a praeceptore carissimo V. D. Traube opusculum elaborandum suscepi, in quo brevibus omnia proponerem, quae de ratione caloris organici in variis morbis mensurationibus thermometricis hucusque observata et ita comprobata sunt, ex quibus medicina ad morbos hominum sive cognoscendos sive curandos utilitatem aliquam capere possit. Attamen quum aliquantum temporis et operae in opusculo ejus modi elaborando consumsissem, probe equidem intellexi, rem propositam longius patere, quam quae finibus dissertationis inauguralis bene complectatur. Ita-

que mutato consilio nonnulla tantummodo eorum proponere, quae opera illa mihi suppeditavit quaeque gravioris momenti videbantur esse, satius putavi.

CAPUT I.

De calore organico partium corporis humani externarum inflammatione laborantium [1]).

1. In superficie partis corporis inflammatae hydrargyrum vivum in thermometro adhibito celerius statum summum nanciscitur, quam in superficie partis corporis sanae.

---

[1]) Ne iterum atque iterum testes singuli singularum, quas propositurus eram, sententiarum laudandi essent, locupletissimos eorum, quibus pro argumentis optimis, ut ita dicam, usus sum, paucis adnotationibus comprehendi. Testes igitur eorum, quae cap. I continet laudo:

Berger, in „Mémoires de la société de Physique et d'histoire naturelle de Genève tom. VI, 1833". — „Repertorium" vol. I—VII.

Becquerel et Breschet: „Traité de l'électricité et du magnétisme" Paris 1837. — „Annales des sciences naturelles, seconde série" tom. XIII, Paris 1834.

A. Gierse: „Quaenam sit ratio caloris organici partium inflam-

2. Calor partis inflammatae organicus, quem thermometro exploramus, non respondet, sensui caloris, quem aegrotus inflammatione laborans percipere solet.

3. Sunt inflammationes partium corporis externarum, in quibus calor organicus normali major omnino non occurrit, certe in inflammationibus pluribus artefactis differentia caloris organici inter partes inflammatione laborantes atque inter partes easdem sanas ejusdem hominis aut nulla fuit aut minima, ita quidem, ut statu quopiam irritationis, qua partes corporis integrae versantur, anxietate et contentione virium calor organicus facile magis augeatur, quam inflammatione singularum corporis partium fieri solet.

Ut exempla pauca afferam (cf. Gierse l.l. p. 26) calor organicus accrevit

a) in erythemate marginato quod vocatur . . . . 0,4 ° R.

---

matione laborantium, febrium, vaginae in feminis menstruis et non menstruis, hominis dormientis et non dormientis et denique plantarum investigatur experimentis ab aliis et a memet ipso institutis". Halae 1842 d. i.

John Hunter: „Versuche über d. Blut, d. Entzündung und die Schufswunden". Aus dem Englischen herausgegeben von Hebenstreit. Leipzig 1797.

J. Thomson: „Lectures on inflammation" Edinburg 1813.

b) in inflammatione a periosteo proficiscente vehementissima . . . . 0,6 ° R.

c) juxta margines vulnerum . . . . 0,75 ° -

quamquam „paulo majorem differentiam inter superficiem sanam atque inflammatam exstitisse putat, si globus thermometri a superficie observanda undique circumclusus fuisset."

4. Attamen occurrunt etiam aliae inflammationes, in quibus calor partis morbo affectae major est calore non solum partis ejusdem sanorum hominum, verum etiam partis ejusdem non inflammatae aegroti. Ejus vero generis inflammationes plerumque febriles sunt.

5. Circa margines vulnerum calor organicus per plures dies auctus occurrere solet.

CAPUT II.

De ratione caloris organici in morbis febrilibus [1]).

1. „Essentia vero febrium est, non secundum Hippocratem modo atque praeclarissimos medicos,

---

[1]) Exceptis iis, quos p. 9—10 notavi, testes affero hosce: Andral: „Cours de la Faculté." 1841.
v. Baerensprung: „Untersuchungen über die Temperatur-

sed etiam secundum communem omnium hominum notionem, praeter naturam caliditas (ἡ παρὰ φύσιν θερμασία), maxime quidem in totum animal effusa;

---

verhältnisse des Foetus und des erwachsenen Menschen im gesunden und kranken Zustande." (In „Archiv für Anatom. und Physiol. etc. v. Joh. Müller, Jahrgang 1852, Heft III.)

Bouillaud: „Clinique médicale etc." tom. III. „Clinique de la charité etc." tom. I et II.

Chossat: „Recherches expérimentales sur l'inanition." 1843.

Currie: „Medical reports on the effects of water cold and warm etc." tom. I et II. London 1805.

J. Davy: In „Edinburgh New Phil. Journ. N. XXXVII, XXXVIII". „Philos. Transact." Lond. 1844. „Annales de Chimie et Phys." troisième série, tom. XIII.

Donné: In „Archives génér. de méd. etc." 2e série, tome III.

Gavarret: In Journal „l'Expérience". 1839. tom. IV.

A. de Haen: „Ration. med." part. X, XI, XII. Viennae Austriae MDCCLXV, MDCCLXVII, MDCCLXVIII.

Fr. Home: „Med. facts and experiments." London 1759.

Piorry: „Traité de diagnostic." tome III.

Roger: „De la température chez les enfants à l'état physiologique et pathologique," in „Archives génér. de méd. 4e série, tome V—IX. Paris 1844—1845. (Le sommaire de ce mémoire a été lu à l'Acad. des scienc. au mois de Décembre 1843.)

Schmitz: „De calore in morbo." Bonn. 1849 d. in.

Traube: „Ueber die Wirkungen der Digitalis, insbesondere über den Einflufs derselben auf die Körper-Temperatur in fieberhaften Krankheiten etc." in „Annalen des Charité-Krankenhauses in Berlin." Jahrgang I, Heft IV. Jahrg. II, Heft I. Berlin 1850, 1851.

Ejusdem: „Beobachtungen und Bemerkungen zur Pathologie

sin minus, at omnino vel in plurimis partibus vel in nobilissimis accensa." (cf. Galeni opp. edid. Kühn vol. XVII, pars I, p. 872.)

Est mirum sane, quod, quum Hippocrates et Galenus ac posteriores medici Arabi et Graeci sine thermometri adjumento rationibus caloris organici in morbis certe febrilibus tantum tribuissent, ut ipsam febris essentiam ponerent in caliditate praeter naturam aucta, posteriorum temporum vel summi in arte medicinae viri, v. g. Boerhaave, hereditatem illam praeclaram, quam a veteribus acceperant, adeo neglexerunt, ut in eosdem de hac re inciderent errores, quos jam Galenus hallucinationum nomine appellaverat. Inde ex tempore celeberrimi A. de Haen, qui jure suo pater thermometricae caloris organici in clinice mensurationis appellandus mihi quidem videtur, observationes omnes accuratissimae virorum clarissimorum fundamentalem illam, ut ita dicam, Galeni sententiam comprobaverunt, neque multos hodie medicos reperiri credam, qui etiamnunc contradicant. Ut exemplum unum afferam ex recentioris aetatis medicis, en verba Franco-Gallica Rogeri (l. l. tome V, p. 467, 468, 469): nonne idem continent, quod brevius dixit Galenus:

---

und Therapie des Abdominal-Typhus und der Pneumonie." Ibidem Jahrgang I, Heft II und Heft III.
Ejusdem: „Ueber Krisen und kritische Tage." Berlin 1852. (Abdruck aus Göschen's „Deutscher Klinik", 1851.)

„Chez les enfants comme chez les adultes le grand fait qui domine presque toute la pathologie et que la médecine antique exprimait énergiquement par les termes de phlegmasie, de pyrexie, etc., le fait de l'élévation de la température dans la fièvre, est rendu plus frappant encore par les indications précises du thermomètre. L'augmentation accusée par cet instrument est l'élément essentiel et le plus constant de l'état fébrile. Quelle que soit sa forme, symptomatique ou idiopathique; quel que soit son type, intermittent, continu, rémittent; quelles que soient sa durée, ses phases et les altérations concomitantes des solides ou des liquides, la fièvre marche toujours accompagnée de l'accroissement de la chaleur générale; de sorte que (suivant l'observation féconde de M. le professeur Andral) son phénomène caractéristique, fondamental, consisterait dans une lésion de la calorification. Nos observations thermométriques, encore plus nombreuses, confirment de tout point les considérations précédentes: pyrexies ou phlegmasies, maladies générales ou locales, graves ou légères, affections organiques (et jusqu'aux cachexies et aux névroses, si elles viennent à se compliquer d'un mouvement fébrile). Du moment où paraissait de la fièvre, qu'elle fût primitive ou consécutive, qu'elle fût l'ombre de la maladie ou la maladie elle-même, toujours, dans nos observations, elle se traduisait

par un développement de chaleur sensible au thermomètre."

2. Caloris organici gradus summi plerumque in febribus iis videntur exsistere, quarum paroxysmi, qui vocantur, perbreves sunt (v. g. in febribus intermittentibus et exanthematicis); contra quae remittentes appellantur febres typhosae, inflammatoriae, hecticae etc. summos caloris gradus numquam fere ostendunt. Itaque quo longius tempus — ut ita dicam — febrile eo minus videtur esse caloris febrilis augmentum.

3. In stadiis criseos et lyseos febrium calor organicus celerius vel lentiore gradu ad statum normalem redit aut infra ipsum statum normalem descendit; neque tamen exceptis sanguinis profusionibus criticis et alvi excretionibus criticis, excretiones, quae vocantur, criticae (urina sedimentosa, sudores profusi diebus criticis) causae diminutionis caloris organici habendae sunt, quoniam vix unquam in crisi completa excretiones illae criticae antecedunt caloris diminutionem, imo saepius in morbis acutis diebus criticis sudores profusi observati sunt sine ulla caloris febrilis diminutione.

4. Pulsuum arteriarum (intra certum temporis spatium) numerus nec quicquam saepe valet ad dijudicandam febris vehementiam neque unquam certo pendet ex calore organico sive aucto sive diminuto. Observaverunt enim pulsuum numerum admodum

auctum in calore aegrotorum normali, normalem contra vel praeter normam parvum in calore supra normam adaucto; saepius etiam observarunt magnam vespertino tempore caloris febrilis exacerbationem, quum numeri pulsuum eodem tempore tam parvum esset augmentum, ut errori cuidam in observando ipsum facillime tribui posset.

5. Mutationes variae, quibus calor febrilis intra morbi cujuspiam decursum obnoxius est, omnino sequi solent typicas morborum febrilium fluctuationes; neque vero febres sive remittentes sive intermittentes — quantum ad typicas illas caloris mutationes pertinet — sequuntur typum, qui vocatur, quotidianum caloris hominis sani.

6. In febribus remittentibus caloris summi gradus apparent in ipso stadio caloris; in stadio caloris sicci perstat caloris augmentum duplici quidem ipsius fluctuatione, quarum altera pertinet ad decursum, ut ita dicam, singulorum morborum proprium, altera vero ad remissiones et exacerbationes caloris organici quotidianas.

7. Calor organicus convalescentium aut normalis est aut normali minor. Roger (l. l. IX, p. 268 et 269) de infantibus haecce: „Si la guérison survient, le feu de la fièvre s'éteint par degrés; le convalescent conserve assez longtemps un peu plus de chaleur; il est plus sensible au froid, mais cette sensation ne se traduit point par un abaissement du thermo-

mètre: l'instrument se maintient plustôt un peu au-dessus de la limite physiologique, quels que soient d'ailleurs la faiblesse et l'épuisement produits par la maladie et la médication." —

8. Si febris exitus est lethalis mortem ipsam magnum caloris augmentum antecedere solet.

Febres intermittentes

insignes quodammodo sunt in historia mensurationis aegrotorum caloris thermometricae, quoniam de iis maxime Cel. De Haen primus omnium observationes instituit accuratissimas, comprobatas eas postea quidem a Gavarret permultisque medicis clarissimis.

1. Jam paullulum ante paroxysmos ipsos singulos febriles (i. e. priusquam frigus conqueratur aegrotus) calor organicus sensim augetur; deinde friget aegrotus dum calor celeriter augetur, ita ut sub finem stadii frigoris saepius maximum, quod dicitur, caloris appareat. In stadio frigoris hydrargyrum vivum in thermometro altiorem interdum gradum tenet quam intercedente sudore; in uno exemplo (cf. Gierse p. 32 sq.) 0,3° R. altius elatum erat, quod in refrigeratione, quae exhalatione sudoris efficitur, positum videtur esse.

2. In stadio caloris per aliquantum temporis calor ipse neque augetur nec minuitur, sub initium stadii sudoris lento gradu maximum illud relinquit; et

3. ipso stadio sudoris calor organicus multo celerius minuitur, quamquam in fine hujus stadii multo major normali saepe apparet.

4. In apyrexia calor gradatim minuitur ita ut minimum caloris reperiatur sub initium insequentis paroxysmi.

Febres exanthematicae

(v. g. variolae, scarlatina, morbilli, erysipelas etc.)

1. Caloris organici maximum augmentum solet exsistere in morbi initio.

2. Die altero vel tertio post eruptionem factam caloris minimum apparet; deinde calor paullatim iterum augetur ita ut die septimo vel nono iidem fere interdum caloris gradus reperiantur, quibus morbi initium est insigne: imo etiam in varioloidibus maximum caloris (32°,9 R.) semel die undecimo eruptionis, decimo tertio morbi in stadio suppurationis exstitit. „Pour le degré d'accroissement de la chaleur (dans les fièvres éruptives) la scarlatine est au premier rang, la variole au second, et la rougeole au dernier" (Roger l. l. IX, p. 275 cf. Currie l. l. tom. I. p. 52, tom. II. p. 40.)

Febres acutae (inflammatoriae) ex affectionibus organorum corporis internorum.

(pneumonia, pleuropneumonia, pericarditis, meningitis, peritonitis, typhus, dysenteria etc.)

1. Calor organicus auctus aut *subito* aut *paullatim* ad calorem normalem reducitur i. e. calor auctus aut intra hor. XII — XXXVI spatium aliquantum minuitur, aut lento gradu post dies aliquot gradus altiores evanescunt.

2. Subita caloris organici diminutio, quae convalescentiam ac sanitatem pronuntiat, exsistere potest antequam inflammatio ipsa, quam sequebatur caloris augmentum, desiit propagari. Ejusmodi vero caloris diminutio saepissime conjuncta est cum sudoribus profusis (non aeque saepe cum urinae ad secern. sal. urin. proclivitate); interdum etiam unum alterumve phaenomenon tunc demum occurrit, postquam calor auctus evanuit.

3. Una cum celeri ista caloris organici diminutione, quae sanitatem pronuntiat, fere semper etiam celeris et eximia numeri pulsuum arteriarum observatur diminutio. Neque unquam ejusmodi pulsuum arteriarum diminutio (exceptis iis quidem morbis, in quibus aut Digitalis adhibita est, aut idiopathica cerebri affectio una cum affectione medullae oblongatae accessit cf. Traube: „Ueb. d. Wirk. d. Digit. etc.," „Ueb. Krisen u. krit. Tage" ll. ll.)

sine caloris organici egregia diminutione occurrere solet.

4. Quae saltuatim ac subito fieri solet in morbis acutis caloris organici diminutio, quaeque sanitatem pronuntiat, si ante diem XIV[tum] exsistit, id quod plerumque evenit, semper fit aut die III[tio] aut V[to] aut VII[mo] aut IX[no] aut XI[mo]. Neque etiam raro in decursu morborum acutorum diebus istis quatuor posterioribus sponte subita et magna caloris diminutio fieri solet, quae quidem, etiamsi non via directa ad sanitatem ducat, satis magnam tamen et constantem febris, ut ita dicam, mitigationem efficit. (Numquam hucusque simile quicquam Traube diebus interjacentibus paribus observavit).

5. Si in decursu inflammationis acutae febrilis calor organicus auctus subito evanuit ita quidem, ut dierum illorum uno vel altero evanescere subito coeperit, sublato caloris augmento inflammatio ipsa desinit propagari. Attamen potest etiam inflammatio calore aucto prorsus sublato aliquamdiu durare (quamquam plerumque per breve tantum temporis spatium), indeque causa exsistere novae tempore posteriori affectionis inflammatoriae propagationis.

6. In morbis acutis calorem antea admodum auctum tunc subito (i. e. intra horas XII—XXXVI) ablatum saepe non sequitur calor organicus normalis, sed normali minor, qui paullatim ad gradus normales redit. Ad pulsuum arteriarum numerum quod

attinet, saepe simile quid observatur. (Chossat l. l. p. 94 — 123 experimentis praeclaris invenit: non solum omnis nutrimenti defectum sed etiam nutrimenta, quae non sufficiant, calorem organicum corporis admodum posse minuere; neque alienum videtur a proposito nostro laudare hoc loco ea, quae Traube de hac re adnotavit [1]).

7. In morbis acutis per longius solito temporis spatium durantibus, in quibus calor supra normam

---

[1]) „Offenbar nun sind die meisten mit einer acuten fieberhaften Krankheit behafteten Individuen schon wegen ihrer Appetitlosigkeit einer solchen unzureichenden Nahrungszufuhr ausgesetzt, ganz abgesehen von der Beschaffenheit des ihnen gereichten (antiphlogistischen) Nahrungsmaterials. Die Fiebertemperatur ist demnach als die Resultante zweier Wirkungen zu betrachten, einer Temperatur-erhöhenden Wirkung, welche von der Fieber-erregenden Ursache ausgeht, und einer Temperatur-vermindernden Wirkung, welche durch die insufficiente Nahrung gegeben ist. — Hieraus aber folgt zweierlei: erstens, dafs die Fiebertemperatur nicht der reine Ausdruck für die Intensität der Fieber-erregenden Ursache ist, dafs sie daher ungleich höher sein würde, wenn nicht vermöge einer höchst wohlthätigen Einrichtung des Körpers, die uns zur Zeit freilich noch unbekannt ist, die Appetitlosigkeit ein so beständiger Begleiter schwerer fieberhaften Krankheiten wäre; zweitens, dafs mit der Elimination der Fieber-erregenden Ursache zunächst die Temperatur-erniedrigende Wirkung der insufficienten Nahrung zum Vorschein kommen müsse. Begreiflich übrigens wird diese dem Fieber folgende Temperaturerniedrigung um so stärker ausfallen und um so länger anhalten, je mehr auch die angewandten Mittel in dieser Richtung gewirkt hatten.“ cf. „Ueber Krisen u. kritische Tage“ p. 19.

auctus paullatim evanescit, febris sub finem morborum saepe typum febris hecticae accipit i. e. in stadio remissionis calor organicus saepe propius accedit ad colorem normalem vel eo ipso minor est, in stadio autem exacerbationis calorem normalem longe superat.

8. Exstant remedia, quae calorem organicum supra normam auctum possunt comminuere. Traube secundum observationes et experimenta sua ejusmodi remedia credit esse: Digitalem, Hydrargyrum chloratum mite (in dos. magn.) et Aquam communem, cujus calor minor sit calore aegroti organico. Sed nunquam Traube observavit ea remedia posse crisin morbi movere die non critico. Sanguinis profusiones interdum crisin completam sequi vidit, siquidem ipsae paullo ante diem ipsum criticum aut die critico ipso ineunte institutae erant.

Roger in fine commentationum (l. l. IX. 282 sqq.) multa proposuit, (applicationes practicas, quas vocat, diagnosticas, prognosticas, therapeuticas) quae mensurationibus suis thermometricis reperisse sibi visus est. Quae tamen omnia prorsus omittere, quam referre hoc loco malui. Credo enim Rogerum in ea operis parte omnem fere operam et laborem perdidisse, quippe qui temere, ne gravius quid dicam, ingressus sit viam illam difficillimam, quam ingredi non licet nisi innumeris iisque accuratissimis observationibus stratam.

CAPUT III.

De calore organico in morbis varii generis normali.

Ex paucis virorum doctissimorum de hac re observationibus ea tantummodo brevibus afferam, quae Roger de infantum certe morbis ejus modi constare putat. Dicit igitur Roger (l. l. tome VI, p. 296). „Après la grande classe des maladies où la chaleur normale est augmentée, vient une seconde catégorie d'affections moins nombreuses où la calorification n'est point altérée, et qui comprend les névroses, certaines diathèses ou cachexies, etc.

Mais dans cette classe que nous allons étudier rapidement, il faut distinguer un premier genre de maladies où la température peut augmenter, dans certaines circonstances et secondairement, et un deuxième genre où elle reste invariable, à moins de complications tout à fait sans rapport avec la lésion primitive: au premier appartiennent les tubercules et la coqueluche.“ cf. p. 299, 301. Alteri morborum generi adnumerat v. g. choream, hydropsiam, rachitidem etc. cf. p. 302—307. Tunc ita pergit: „Si nous passions en revue d'autres affections apyrétiques de l'enfance, dans toutes nous retrouverions la même loi d'invariabilité de la tem-

pérature générale du corps. (Nous l'avons expérimenté pour l'ictère, pour la syphilis etc.). Dans les unes, ainsi que l'ont démontré les expériences précédentes, la chaleur animale ne subit absolument aucune modification tant que la maladie ne change point de nature, tant qu'un élément nouveau ne vient point s'enter sur elle, le thermomètre se maintient à son niveau tout à fait normal. Dans les autres, il y a parfois tendance légère à un refroidissement partiel; mais cette influence funeste, qui attaque la calorification dans ses sources inconnues reste sans action sur la chaleur interne des organes, chaleur, suffisante pour entretenir la vie menacée."

CAPUT IV.

De caloris organici in morbis diminutione.

Praeter ea, quae suis quidem locis de calore organico in morbis diminuto supra adnotata sunt, pauca tantummodo eaque singularia proponenda videntur. Potest igitur diminui calor organicus aut totius corporis aut partis ejusdem, eaque partialis, quae vocatur, caloris organici diminutio aut peripherica cutanea est aut in parte sola aegrota animadvertitur.

1. Diminutio caloris organici partialis est observata in organis corporis *gangraenosis* (cf. Roger l. l. VII, p. 468—472) et *paralyticis* cff. Romberg „Lehrb. d. Nervenkrankh. d. Menschen, var. II.“ Earle: „Cases and observations illustrating the influence of the nervous system in regulating animal heat“ (in: „Med. Chirurg. Transactions vol. VII).

2. Totius corporis aegroti calorem organicum diminutum observarunt in stadio algido cholerae Asiaticae [1]) et maxime in oedemate neonatorum. (cf. Roger l. l. tome VII, p. 473, VIII, p. 17—28.)

3. In statu excellentissimo corporis totius collapsi videtur etiam calor ejus organicus aliquantum posse diminui; duae certe herniae incarceratae (apud v. Baerensprung l. l. p. 260) ostenderunt una cum corpore collapso solito parvam caloris organici diminutionem.

4. Vehementiores nervorum commotiones et vulnerationes calorem corporis organicum admodum

---

[1]) Adnotavit v. Baerensprung l. l. p. 258: Diminui quidem in stadio algido cholerae Asiaticae calorem organicum omnium corporis partium, quae mensurationi thermometricae adaptatae sint, sed non aequabiliter diminui. Caloris diminutio maxima apparuit in vola, minima in alvo et in vagina. Cavitas oris plerumque (cui consentientes laudat Roger, Reinhardt, Leubuscher, Czermak) attamen non semper (cf. p. 256) calorem ostendit minorem quam pectus et forea axillaris.

Calor ipse in singulis partibus iisdem corporum eorundem aegrotorum mutationibus satis magnis obnoxius est.

solent comminuere. (cf. Ch. Chossat „Mémoire sur l'influence de système nerveux sur la chaleur animale." Paris 1820, p. 1—49.

5. In hominibus syphiliticis, qui per inediam curantur, calor organicus paullulum minuitur.

6. Omnino raro calor organicus diminutus est infra statum normalem [1].

Neque etiam observationibus omnibus (quarum numerus haud ita magnus est), quantum ipsae diminutionem caloris organici comprobant, fidem magnam equidem tribuam, quoniam multae earum ortae sunt ex methodo metiendi, quod ad calorem diminutum certo comprobandum attinet, meo quidem judicio satis imperfecta. Id ipsum optime apparebit, si quis comparaverit v. g. Rogeri methodum metiendi (l. l. IX, p. 282) cum Traubii methodo, quam descripsit p. 18—20 l. l. (Ann. d. Char.-Krankenhauses Jahrg. II, Heft I).

Attamen propterea quod Roger plurimas de hac re mensurationes thermometricas instituit, ejus verba generalia, ut ita dicam, hic locum habeant.

„Chez l'enfant comme chez l'adulte, comme chez

---

[1]) Gierse l. l. p. 35 neque in homine phthisico, cujus in pulmonibus cavernae haud parvae aderant, nec in febre typhosa, quae ad quintam hebdomadem perducta erat, calorem organicum diminutum vidit. In iis ipsis hominibus, qui longum per tempus stomacho laborent, nullam fere diminutionem caloris organici reperiri contendit.

les animaux, la température descend proportionnellement beaucoup plus qu'elle ne monte: les oscillations inférieures comprennent un nombre de degrés au moins double de celui des oscillations supérieures. Que le corps de l'enfant gagne cinq à six degrés de chaleur, et il va périr consumé; que la maladie par un effort inverse, tende à abaisser la température, et il pourra perdre, jusqu'à la mort, quinze degrés . . . .

„La température, dans sa diminution progressive, peut baisser bien au-dessous du niveau physiologique avant que la vie s'éteigne; mais déjà un abaissement de quatre ou cinq degrés semble, chez l'enfant, incompatible avec le retour à la santé, puisque nous n'en avons jamais vu guérir quand le thermomètre avait marqué moins de 32°, 50 (C.)" l. l. p. 272.

CAPUT V.

De calore aegrotorum opinato.

v. Baerensprung (l. l. p. 278 — 286) nonnulla adjecit, quae mihi quidem probabilia videntur esse; quorum summa fere haec est:

Calor et algor, quos sentit medici manus cuti aegroti applicata, minime semper respondent caloris

mensurationi thermometricae; immo etiam in iis corporis aegroti partibus, quarum calorem auctum manus applicata vix paullisper tolerare videtur, hydrargyrum vivum thermometri plerumque augmentum caloris non ostendit nisi 2 — 3° R.

Quo major sanguinis copia in cutis capillaribus aggregatur, quo celerius ipsa nova deinceps insequente sanguinis copia propellitur, eo melior redditur cutis conductor, ut ita dicam, caloris organici. Quoniam vero constat, quo quid melior sit caloris conductor eo sive frigidius sive calidius caeteris paribus, quod vocant, ipsum manibus attactum apparere, recte, quantum equidem intelligo, v. Baerensprung putat: caloris abeuntis (Wärmeausstrahlung) a corporis superficie mensurationem institui posse respectu celeritatis, qua hydrargyrum vivum in thermometro cuti applicato ascendat. Etenim in ea corporis parte, a cujus superficie per certum temporis spatium major abit caloris organici copia, hydrargyrum vivum in thermometro celerius statum summum nanciscatur necesse est. (Cf. Gierse l. l. p. 1—4.) Methodus metiendi, qua usus est v. Baerensprung, satis imperfecta ipsi videtur esse, — haud mirum in re difficillima.

Mensurationum plurium ejus modi summa haec fuit:

Temporis spatia, quibus hydrargyrum vivum in

thermometro 1° R. sive accendebat sive descendebat ita differebant:

	sexages. hor. part.
in cholera Asiatica	1,6,
in hominibus sanis	1,1,
in febribus	0,7,
in cutis inflammationibus	0,7.

VITA.

Wenceslaus Henricus Plagge natus sum Ibbenbuerenii in regionis Monasteriensis Guestphalorum oppido, X. Cal. Mart. anno h. s. XXVI patre Henrico, quem adhuc vivum colo, matre Agnesia, quam immatura morte septem abhinc annos mihi abreptam doleo. Catholicam fidem profiteor. Institutus domi primis linguae Latinae elementis per quinquennium frequentavi Gymnasium Monasteriense. Unde cum testimonio maturitatis auctumno anni XLIV dimissus per octo semestria primum in Academia Regia Monasteriensi deinde in Universitate Friderica Guilelma Berolinensi studiis philosophis, philologis et historicis operam navavi. Tunc examinibus Monasterii superatis summosque in philosophia honores rite adeptus auctumno anni XLIX philologiae valedicturus Georgiam Augustam Goettingensem adii, ibique per tria semestria in studiis medicinae versatus iterum huc sedem transtuli. Jam inde ex eo tempore quo ad studia medicinae me applicavi his scholis interfui:

Ill. C. J. M. Langenbeck de anatomia; idem dux fuit in arte homines mortuos rite secandi; ill. W. Weber de physice; ill. Woehler de chemia; ill. R. Wagner de physiologia, de physiologia generationis; ill. Bartling

de botanice; ill. Baum de chirurgia, de ossibus fractis et luxatis, de aciurgia; ill. Frerichs de pathologia et therapia generalibus conjunctis cum experimentis et demonstrationibus microscopicis et chemicis, de anatomia pathologica; ill. Fuchs de nosologia et therapia specialibus; ill. Marx de materia medica deque arte formulas rite concinnandi; ill. Ruete de physiologia et pathologia aurium; ill. v. Siebold de arte obstetricia; ill. Weifs de mineralogia; ill. Lichtenstein de zoologia; ill. J. Mueller de anatomia organor. sens., de physiologia generationis; exp. Traube de auscultatione et percussione, ejusdemque exercitationibus practicis auscultationis et percussionis et in morbis cognoscendis interfui; ill. Casper de medicina forensi; exp. Reinhardt de anatomia pathologica; exp. Remak de historia evolutionis corporis humani; ill. Juengken de corporis humani laesionibus; ill. Troschel de fasciis rite alligandis.

In scholis clinicis medicinis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis duces fuerunt: ill. Baum, ill. Fuchs, ill. v. Siebold, ill. Boehm, ill. Romberg, ill. Schoenlein, ill. Juengken, ill. B. Langenbeck, ill. Schmidt.

In exercendis operationibus chirurgicis dux fuit ill. B. Langenbeck.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, gratias et ago, et, dum in vivis sum, habebo quam maximas.

THESES CONTROVERSAE.

1. Nemo medicus nisi psychologus.
2. Homines robusti morbis inflammatoriis non aeque sunt obnoxii atque infirmi.
3. Verum illud medicorum veterum: essentiam febrium positam esse in calore organico praeter naturam aucto — τῇ παρὰ φύσιν θερμασίᾳ.
4. Vinum est medicamentum, non nutrimentum.